

tuum ac statuendo ordinamus, quod dicta clenodia antistitialia perpetuis temporibus in aede sacra dictae ecclesiae sub clausura seu custodia thesaurarii aut vices eius gerentis ut moris est habeantur, ut dum pontifex in sollempnitatibus consuetis officium ibidem pontificale exercere voluerit eisdem utatur, extra ecclesiam vero nullatenus deportentur, eo solum proviso, si fortassis ad regum vel principum vocationem episcopum Missenensem qui pro tempore fuerit coronationi, baptismati, compaternitati seu actui consimili sollempni interesse contingeret, tunc propter . . donatoris felicem memoriam ac ecclesiae Missenensis gloriam dictis clenodiis uti possit, cautione tamen idonea per eundem episcopum capitulo ecclesiae saepedictae, quod actu huiusmodi expleto quantocius eadem ad pristinam aedem reponantur, prius facta. In praemissae ordinationis robur plenius sigillum nostrum autenticum praesentibus duximus appendendum.

Et nos Johannes praepositus, Theodricus decanus totumque capitulum ecclesiae Missenensis memoratae ordinationi per reverendum patrem dominum Johannem episcopum Missnensem praescriptum factae expressum nostrum damus assensum et in pleniorum ordinationis firmitatem capituli nostri sigillo decrevimus praesentem litteram roborandam. Actum et datum Missnae anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto vicesima nona die mensis Septembris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den beschädigten Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 480. 1354. 31. Oct.

*B. Johann verfügt auf Bitten des Archidiaconus von Nisan, dass zu Aufbesserung dieser Pröbende das Pfarramt zu Kötzschenbroda mit derselben vereinigt, dort aber ein Vicar eingesetzt werde, und das Capitel gibt hierzu seine Zustimmung.*

In nomine domini amen. Nos Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Missenensis universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis volumus esse notum, quod cum redditus, fructus et proventus annui ad archidiaconatum Nysicensem, qui dignitas in nostra Missnensi ecclesia existit, pertinentes adeo tenues existunt, quod ex eis archidiaconus Nysicensis pro tempore sustentationem congruam habere non possit, nobis pro parte honorabilis viri domini Hermanni de Wolficz archidiaconi Nysicensis fuit humiliter supplicatum, quatenus ecclesiam parrochiam in villa Kocschebrode infra limites dicti archidiaconatus consistentem et cuius ius conferendi ad ipsum et ad archidiaconum Nysicensem pro tempore pertinet et ab olim pertinere consuevit, dicto suo archidiaconatui unire, annectere, appropriare et incorporare dignaremur. Nos ipsius precibus iustis favorabiliter inclinati dictam ecclesiam parrochiam in Kocschebrode cum omnibus et singulis redditibus, fructibus, proventibus, obventionibus et iuribus eius de expresso nostri capituli consensu dicto archidiaconatui Nysicensi unimus, annectimus, appropriamus et incorporamus ita, quod quandocumque dictam ecclesiam per mortem vel liberam resignationem rectoris eiusdem ecclesiae qui nunc est vel quovis alio modo vacare contingerit, archidiaconus Nysicensis pro tempore perpetuum vicarium in eadem ecclesia instituere tenebitur, cui de redditibus